



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Theologia|| Ivridica,|| Sev Ivs Civile Theologicvm,||**

**Fickler, Johann Baptist**

**Dilingæ, 1575**

**VD16 F 976**

De Ecclesia Catholica Romana, & Romanoru[m] Imperatorum erga  
eandem studio & obsequio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63414)

49  
DE ECCLESIA  
CATHOLICA ROMA-  
NA, ET ROM. IMPERATORVM  
ERGA EANDEM STUDIO ET  
OBSEQVIO.

Quam religionem Christiani sequi, qualemque obedi-  
entiam & honorem Rom. Princeps Summo Pontifici, &  
quo amore is vicissim Principem amplecti debeat: itē  
quæ sit Ro. Ecclesiæ autoritas, primatus, priuilegia, &  
quædam alia ex huius capituli legibus edocetur.

GRATIANVS, VALENTINIANVS ET  
Theodosius Imp. in l. i. C. De summa Trinit.  
& fide Catholica, &c.



VNCTOS POPVLOS,  
quos clementiæ nostræ regit im-  
perium, in tali volumus religio-  
ne versari, quam diuum Petrum  
apostolum tradidisse Romanis,  
religio vsq; adhuc ab ipso insinuata declarat,  
quamq; Pontificæ Damasum sequi claret, &c.

*Sequitur Epistola Iustiniani Imperatoris, quam  
vnâ cum fidei Catholicæ confessione per Episcopos  
Hypatium atq; Demetrium Romam misit ad Ioan-  
nem Papam II. quæ vnâ cum eiusdem Pontificis  
resspensione inter leges Codicis, sub Tit. De summa  
Trin. & fide Cath. ab ipsomet Iustiniano relata est.*

VICTOR IVSTINIANVS, PIVS, FELIX  
inclutus, triumphator, semper Augustus, Ioan-  
ni sanctissimo Episcopo almæ vrbs Ro-  
mæ, & Patriarchæ.

R Eddentes honorem Apostolicæ sedi & ve-  
stræ sanctitati (quod semper nobis in voto  
C 4 &



& fuit & est) ET VT DECET PATREM HONORANTES vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis. Quoniam semper nobis fuit magnum studium vnitatem vestræ apostolicæ sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hætenus obtinet, & incommotè permanet nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes vniuersi Orientalis tractus & subijcere & vnire sedi vestræ sanctitatis properauimus. In præsentem ergo, quæ commota sunt (quamuis manifesta & indubitata sint, & secundum Apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firmè custodita & prædicata) necessarium duximus, vt ad notitiam vestræ sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiã vestræ innotescat sanctitati, **QVAE CAPVT EST OMNIUM SANCTARVM ECCLESIA RV M.** Per omnia enim (vt dictum est) properamus honorem & auctoritatè crescere vestræ sedis. Manifestum igitur facimus vestræ sanctitati, quod pauci quidè infideles, & alieni sanctæ Dei catholicæ atq; Apostolicæ Ecclesiæ contradicere Iudaicè atq; apostaticè ausi sunt aduersus ea, quæ ab omnibus sacerdotibus secundum vestram doctrinam rectè tenentur, & glorificantur, atque prædicantur, denegantes Domi-

Ecclesiæ Orientales subiectæ sunt Romanæ Ecclesiæ.

Papa caput omnium Ecclesiarum, Imperatoris testimonio.



Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum filium Dei, Deum & Dominum nostrum incarnatum de sancto Spiritu, & ex sancta atque gloriosissima semper Dei genitrice Maria hominem factum atque crucifixum, vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, & adorandum & cōglorificandum Patri & Spiritui sancto, consubstantialem patri secundum Diuinitatem, & consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundemque ipsum impassibilem deitate. Recusantes enim Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum filium Dei & Dominum nostrum fateri vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis: videntur Nestorij malam sequi doctrinam secundum gratiam dicentis filium Dei, & alium dicentis Dei verbum, & alium Christum. Omnes verò sacerdotes sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ & reuerendissimi archimandritæ custodientes statum & vnitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolica vestra sanctitatis sede, nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit atque obtinet, vno consensu confitentur, & glorificant, prædicantes Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum filium & verbum Dei & Dominum nostrum ante secula & sine tempore de Patre natum, in vltimis diebus descendisse de cælis & incarnatum de Spiritu sancto, & ex sancta atque gloriosa virgine & Dei genitrice

C 5

trice

Hic repetuntur quæ duobus Græcis Edictis supra in Professione fidei cath. comprehensa sunt.

Confessio fidei Iustiniani.



trice Maria natum, & hominem factum, & crucifixum, vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, & coadorandum & conglorificandum Patri & sancto Spiritui: nec enim alium Dei verbum, & alium Christum cognoscimus, sed vnum atque eundem ipsum consubstantialem Patri secundum diuinitatem, & consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem Deitate. Vt enim est in Diuinitate perfectus, ita idem ipse & in humanitate perfectus est. In vna enim substantia Deitatem suscipimus & confitemur, quod dicunt Græci τὴν κατ' ἑσώτατον ἑνωσιν ὁμολογούμεν. Et quoniam vnigenitus Filius & verbum Dei ante sæcula, & sine tempore de Patre natus, idem ipse & in vltimis diebus descendens de cælis, incarnatus de Spiritu sancto, & ex sancta atq; gloriosa semper virgine & Dei genitrice Maria, homo factus Dominus noster Iesus Christus, propriè & verè Deus est: idèd & sanctam atq; gloriosam virginem Mariam propriè & verè Dei matrem esse dicimus: non quia Deus verbum, principium ex ipsa sumpserit, sed quia in vltimis diebus descendit de cælis, & ex ipsa incarnatus, & homo factus & natus est: Quem cōfitemur & credimus (sicut dictum est) consubstantialem esse Patri secundum Deitatem, & consubstantialè nobis eundem ipsum secundum humanitatem: eiusdem miracula & passiones, quas spontè in carne sustinuit

Idest, eā quæ secundum personā est, vnitatem seu cōiunctionem confitemur.



sustinuit agnoscentes. Suscipimus autem sancta quatuor Concilia, id est, trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, qui in Nicæna Vrbe congregati sunt: & centum quinquaginta sanctorum Patrum, qui in hac regia Vrbe conuenerunt: Et sanctorum Patrum, qui in Ephesino primo congregati sunt: Et sanctorum Patrum, qui in Chalcedone cōuenerunt, sicut vestra Apostolica sedes docet atq; prædicat. Omnes ergò sacerdotes sequentes doctrinam Apostolicæ sedis vestræ, ita credunt, & confitentur, & prædicant. Vndè properauimus hoc ad notitiam deferre vestræ sanctitatis per Hypatium & Demetrium, sanctissimos Episcopos, vt nec vestram sanctitatem lateat, quæ à quibusdam paucis monachis malè & Iudaicè, secundum Nestorij fidem denegata sunt. Petimus ergò vestrum paternum affectum, vt vestris ad nos destinatis literis, & ad sanctissimum Episcopum huius almæ Vrbs, & Patriarcham, vestrum fratrem (quoniam & ipse per eosdem scripsit ad vestram sanctitatem, festinans in omnibus sedem sequi Apostolicam beatitudinis vestræ) manifestum nobis faciatis, quòd omnes, qui prædicta rectè confitentur, suscipit vestra sanctitas: & eorū, qui Iudaicè ausi sunt rectam denegare fidem, condemnare perfidiam. Plus enim ita & circa vos omnium amor, & vestræ sedis crescit auctoritas: & quæ apud vos est vnitas sanctarum Ecclesiarum, interturbata seruabitur, quando

per

Iustinianus agnoscit Concilia.

Studiosè Impera. hic dicit de Ephesino primo, vt excludat secundum Concil. Ephesin. profanū & damnatū. De quo vide in primo volum. concilior. & in actis concilij Chalcedonen. & Epistolis Leonis Papa.

Notatu dignū est, quòd plerūque hæreses olim & hodie à perfidis quibusdam Monachis exortæ sunt. Hinc recitatur hi versus. Nō audet Stygius Pluto tentare, quod audet, Effrenis monach⁹, plenaq; fraudis anus.



per vos didicerint omnes beatissimi Episcopi, eorum quæ ad vos relata sunt, synceram vestræ sanctitatis doctrinam. Petimus autem vestram beatitudinem orare pro nobis, & Dei nobis acquirere prouidentiam. Deitas te conseruet per multos annos, sancte ac religiosissime Pater.

*Ad hanc Epistolam & legationem Iustiniani rescripsit summus Pontifex in hunc modum, quæ responsio inter leges quoque Cod. relata habetur.*

GLORIOSISSIMO ET CLEMENTISSIMO filio Iustiniano Augusto, Ioannes Episcopus urbis Romæ.

Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce, tanquam aliquod sydus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio, edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est, Pasce oues meas. Quam esse omnium verè Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerendissimi testantur affatus. Patet igitur vobis impletum fore quod scripturæ loquuntur: Per me reges regnant, & potentes scribunt iustitiam. NIHIL EST ENIM QVOD LVMINE CLARIORE PRÆFVLGEAT, QVAM RECTA FIDES

Petrus Apostolorum primus.

In principe nihil clarius



DES IN PRINCIPE: nihil est, quod ita ne-  
 queat occasui subiacere, quàm vera religio.  
 Nam cum auctorem vitæ, vel luminis vtraque  
 respiciant, rectè & tenebras respuunt, & ne-  
 sciunt subiacere defectui. Quamobrem glorio-  
 sissime Principum votis omnibus exorabitur  
 diuina potentia, vt pietatem vestram in hoc  
 ardore fidei, in hac deuotione mentis, in hoc  
 integre religionis studio, sine defectu sui in lō-  
 giora tempora conseruet. Hoc enim & sanctis  
 credimus Ecclesijs expedire. Scriptū est enim,  
 labijs regit rex. & iterum: Cor regis in manu  
 Dei est, & vbi voluerit inclinabit illud. Hoc est  
 enim, quod vestrum firmat imperium, hoc  
 quod vestra regna conseruat. Nam pax Eccle-  
 sia, religionis vnitas, auctorem facti in subli-  
 me prouectum grata sibi tranquillitate custo-  
 dit. Neq; enim parua ei vicissitudo à potentia  
 diuina tribuitur, per quem nullis rugis Eccle-  
 sia diuisa fecernitur, nullis insertis maculis  
 variatur. Scriptum est enim: Quia cū rex iu-  
 stus federit supra sedem non aduersabitur ei  
 quicquam malignum. Proinde serenitatis ve-  
 stræ apices per Hypatium atq; Demetriū san-  
 ctissimos viros, fratres & Coepiscopos meos,  
 reuerentia consueta suscepimus. Quorum  
 etiam relatione comperimus, quod fidelibus  
 populis proposuistis edictum amore fidei pro  
 submouenda hæreticorum intentione, secun-  
 dū Apostolicam doctrinā, fratrum & Coe-  
 piscoporū nostrorū interueniente cōsen-  
 su:

c quàm recta  
 c fides.

c Ecclesie pax  
 c Imperij fir-  
 mamētū est,

Hac Epistola  
 cum superiori  
 annuit ad id,  
 quod scribi-  
 tur in primo  
 tomo Conci-  
 liorum, Iusti-  
 nianum fidē  
 suam scriptā  
 proprio Chy-



rographo ad  
sedē Apосто-  
licam misisse  
per Episcopos  
Demetriū &  
Hypatium: &  
munera, id  
est, scyphos,  
calices, pallio-  
la &c. quorū  
tamen hic nō  
fit mentio.

Psal. 95.  
Vox prophe-  
tica ad pios &  
catholicos  
Imperatores.

Iustinianus  
princeps ca-  
tholicus.

Hæretici mē-  
daces.  
Esaï. 28.

su: quod quia Apostolicæ doctrinæ conuenit,  
nostra auctoritate confirmamus. Liquet igitur,  
Imperator gloriosissime (vt lectionis tenor  
& Legatorum uestrorum relatio patefecit)  
vos Apostolicis eruditionibus studere, cum de  
religione Catholicæ fidei ea sapitis, ea scripsi-  
stis, ea protulistis, ea populis fidelibus publi-  
castis, quæ (sicut diximus) & sedis Apostolicæ  
doctrina, & sanctorum Patrum veneranda de-  
creuit auctoritas, & nos confirmauimus in om-  
nibus. Opportunum est ergo uoce exclama-  
re prophetica: Iucundetur tibi, & abundet ca-  
lum desuper, & effundant montes iucundita-  
tem, & colles laticia lætabuntur. Hæc igitur in  
tabulis cordis fideliter scribere, hæc, ut pupil-  
las oculorum conuenit obseruare: Neq; enim  
quisquam est, in quo Christi charitas feruet,  
qui tam rectæ, tam veræ confessionis uestræ fi-  
dei refragator existat. Cùm euidenter impie-  
tatem Nestorij Eutichetisq; & omnium hæ-  
reticorum damnantes, vnā veram Catholi-  
cam fidem Domini & Dei nostri Saluatoris  
Iesu Christi magisterio institutam, & prophe-  
ticis, apostolicisq; prædicationibus ubiq; dif-  
fusam, & sanctorum per totum orbem confes-  
sionibus roboratam, patrum atque doctorum  
sententijs adunatam, & nostræ doctrinæ con-  
sentaneam, inconcussè atq; inuiolabiliter de-  
uota Deo & pia mente seruatis. Soli etenim  
professionibus uestris aduersantur, de quibus  
diuina scriptura loquitur, dicens: Posuerunt  
menda-



mendacium spem suam, & mendacio operiri sperauerunt: & iterum, qui secundum Prophetam dicunt Domino, Recede à nobis, vias tuas scire nolumus: propter quod Salomon dicit, Per semitas propria cultura errauerunt: colligunt autem manibus infructuosa. Hæc est igitur vera vestra fides: hæc certa religio: hoc beatæ recordationis (vt diximus) Patres omnes, præfulesq; Romanæ Ecclesiæ, quos in omnibus sequimur, hoc sedes Apostolica prædicauit hæcenus, & inconcussè custodiuit. Huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum se ipse à sancta communione, alienum ab Ecclesia iudicabit esse Catholica. Nos enim Cyrum cum sequacibus suis in Romana inuenimus ciuitate, qui de Cumiten-  
 si monasterio fuit, quos Apostolicis suasionibus ad rectam fidem, & velut oues, quæ perierant errantes, ad ouile contendimus reuocare dominicū, vt agnoscant secundum Prophetā linguæ balbutientes loqui quæ ad pacem sunt. Ad non credentes autem per nos primus Apostolorum Esaiæ Prophetæ verbum dicit: Ambulate in lumine ignis vestri, & flammæ, quam succendistis. Sed obduratum est cor eorum (vt scriptum est) vt non intelligerent: & pastoris vocem oues, quæ meæ non erant, audire minime voluerunt: in quibus obseruantes ea, quæ ab ipsorum sunt statuta Pontifice, eos minime in nostra communione recipimus, & ab omni Ecclesia Catholica esse iussimus alienos: nisi errore

Iob. 22.

Esai. 50.

Heretici ex-  
 communica-  
 ti.



Intercessio p  
hereticis con-  
uerfis, vel cō-  
uertendis.

errore damnato doctrinam nostram quanto-  
cius sequi habita regulari professione signa-  
uerint. Æquum quippè est, vt qui nostris mi-  
nimè obedientiam accommodant statutis, ab  
Ecclesijs habeantur extorres. Sed quia GRE-  
MIVM SVVM NVNQVAM REDEVN-  
TIBVS CLAVDIT ECCLESIA: Obse-  
cro clementiam vestram, vt si proprio deposti-  
to errore, & praua intentione depulsa, ad vni-  
tatem Ecclesiæ reuerti voluerint, in vestram  
communione receptis, indignationis vestre  
remoueatis acculeos, & nobis intercedenti-  
bus benigni animi gratiam condonetis. Deū  
autem & saluatorem nostrum Iesum Chri-  
stum exoramus, quatenus longæuis & pacifi-  
cis vos dignetur custodire temporibus, in hac  
vera religione, & vnitatem, & veneratione Apo-  
stolicæ sedis: cuius Principatum, vt Christiani-  
sissimi, & pij conseruatis in omnibus. Præ-  
terea, serenissime Principum, laudamus legato-  
rum vestrorum personas, Hypatij & Deme-  
trij, fratrum & Coëpiscoporum nostrorum,  
quos clementiæ vestræ gratos fore ipsa mani-  
festauit electio. Nam tantæ causæ pondus non  
nisi perfectis in Christo potuisset iniungi: tan-  
tæ verò pietatis, tantæ reuerentiæ plenos affa-  
tus, nisi per amantes minimè dignaremini de-  
stinare. Gratia Domini nostri Iesu Christi, &  
charitas Dei Patris, & communicatio sancti  
Spiritus sit semper vobiscum, pijssime fili, A-  
men. Omnipotens Deus regnum vestrum &  
salutem



salutem vestram perpetua protectione custodiat, gloriosissime & clementissime fili, Imperator, Auguste. Dat. Romæ VIII. Calend. April. Dn. Iustiniano PP. A. IIII. & Paulino V. C. Coll.

IUSTINIAN. IMP. IN EDICTO AD POPULUM Constantinopolitanum, quod ad Ioan. Pont. Rom. II. misit circa fin. §. super hæc autem omnia.

**D**ioscorus, qui cum nihil in fidem peccasset, tamen propter solium Ecclesiasticum ordinem à sancta Ecclesia Romana anathematizatus est.

*Observandum autem hæc est Romanam Ecclesiam ab Imperatore sanctam fuisse appellatam: ut eam ob sui prærogatiuam iusto titulo nominaret, & à minori ad maius argumentum formaret, nimirum Ecclesias nonnullas Græcorum merito etiam post mortem hæreticos quosdam subiēcisse anathemati, cum hoc ipsum à Romana quoque Ecclesia, seu principali, factitatum esse constet.*

IUSTINIAN. IMP. IN PRIN. AVTH. VT Eccles. Rom. cent. ann. gaud. præscript. &c.

**VT LEGVM ORIGINEM ANTERIOR** Romam hic  
**ROMA SORTITA EST: ITA ET** idem anterior  
**SVMMI PONTIFICATVS APICEM** re dicit, pro-  
 APVD EAM ESSE, NEMO EST, QVI pter urbem  
 DVBITET. Vnde & nos necessarium duxi Constantino-  
 mus patriam legum, fontem sacerdotij, spe- politanã, quæ  
 ciali nostri numinis lege illustrare, vt ex hac Roma poste-  
 D in fuerat appel-  
 lata. Quibus



autem Roma  
in iure appel-  
letur nomini-  
bus quibusq;  
priuilegijs an-  
tecelluerit cō-  
stātinopolim,  
habes primā  
& pulchram  
glo. in d. auth.  
Priuilegia cō-  
cessa Ro. Ec-  
clesia, intelli-  
guntur etiam  
ceteris Eccle-  
sijs totius Oc-  
cidentis,

in vniuersas Ecclesias Catholicas, quæ vsque  
ad Oceanum positæ sunt, saluberrimæ legis  
vigor extendatur, & sit totius Occidentis nec  
non & Orientis, &c. lex propria ad honorem  
Dei consecrata.

IUSTINIAN. IMP. IN D. AVTH.

§. Quod igitur.

**Q**uod igitur nostra æternitas ad omnipo-  
tentis Dei honorem, venerandæ sedi  
summi Apostoli Petri dedicauit: hoc habeant  
omnes terræ, omnes Insula totius occidentis,  
quæ vsq; ad ipsius Oceani recessus extendun-  
tur, nostri imperij prouidentiam per hoc in  
æternum.

*Quod Imperator hîc dicit de veneranda sede sum-  
mi Apostoli Petri, hoc intelligendum est de Roma-  
na Ecclesia, ceu capite omnium cæterarum Ecclesia-  
rum, cui Iustinianus lege constitutioneque ciuili hoc  
priuilegij concessit, ut ea in contractibus, causis, re-  
bus, & alijs actionibus omnibus centenaria gauderet  
præscriptione.*

IUSTINIAN. IMP. IN AVTH. DE EC-  
clesi. tit. & priuileg. &c. circa prin. coll. 9.

Conciliorū  
authoritatē  
vim habere  
sacrę scriptu-  
ræ.  
Papa Rom.  
summus o-  
mnium sa-  
cerdotum.

**S**ACRORVM CONCILIORVM DO-  
GMATA, SICVTI SANCTAS SCRIP-  
TURAS, ACCIPIMVS: ideoque sancimus  
secundum earum definitiones, sanctissi-  
mum senioris Romæ Papam, primum esse o-  
mnium sacerdotum. Beatissimum autem Ar-  
chiepiscopum Constantinopoleos nouæ Ro-  
mæ



ma secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romae sedem.

*Quod verò Romanus Pontifex etiam in Constantinopolitanum Patriarchatum habuerit imperium, id exemplo docet idem.*

IVSTINIAN. IMP. IN AVTH. NOVELL. De depositione Anthimi & Seueri &c. coll. 10. Quae alias numero 42. est.

Hanc constitutionem editam esse ante Synodum quintam vniuersalem, ait Nicephor. lib. 17. cap. 9. De huius Anthimi depositione vide Niceph. lib. & cap. vt supra.

**Q**uid nuper factum sit circa Anthimum, scimus, qui quidem deiectus est de sede huius regiae Urbis (Constantinopolis) à sancta & gloriosae memoriae Agapeto, sanctissimae Ecclesiae antiquae Romae Pontifice, eò quòd nullo modo sibi ipsi conueniens, contra omnes sacros canones se intruserat, &c.

IVSTINIAN. IMP. IN CONSTIT. NOVELL. CXIX. §. 2. apud Iulium Patricium, Antecessorem Constantinopolitanum.

**P**APA ROMANVS PRIOR OMNIBVS EPISCOPIS ET PATRIARCHIS SEDEAT.

*Nemo autem hinc arbitretur Papam ab Imperatore, vt is summus esset in Christianitate Pontifex, fuisse constitutum, vel in suprema sede confirmatum: adeò vt primatum potestatemque suam non à Deo, sed à Graecis Imperatoribus habeat, quod cogitare absurdissimum fore, vel ex eo intelligi potest, quòd idem Imperator supra dicit in citato authentico de Ecclesiast. tit. &c. se iuxta sacrorum Conciliorum dogmata sancire, vt Papa Romanus*





fit omnium sacerdotum primus. Quis enim adeò de-  
mens est, qui diceret Imperatorem habere potestatem  
Christo vicarium constituere, vel primatum, supre-  
mamue potestatem in statu Ecclesiastico vel huic  
vel alteri decernere. Nam præterquam quod ne-  
mo falcem suam mittere debet in messem alienam,  
seque immiscere rei ad se non pertinenti, iux. l. culpa  
est. ff. de reg. iur. hoc etiam verum est, ne parem qui-  
dem in parem habere imperium. glo. in vers. iudica-  
mus l. digna vox est. C. de legib. Quopactò igitur is,  
cui parere necesse est, imperanti mandare, vel in so-  
lemnibus quicquam tribuere potest? per absurdum  
enim est, si promiscuis actibus rerum turbentur offi-  
cia. l. consulta. C. de testam. Sed ita se res habet, Po-  
steaquam Pontifex Romanus vrbis gubernationem,  
à qua salus Italiae dependere videbatur, à Constan-  
tino Imperatore accepisset, consecutum est, quòd ad  
Papæ electionem, nõ solum ecclesiastici ordinis perso-  
narum, verum etiam populi Romani, & ipsius Im-  
peratoris cõsensu requireretur. Huius verò potestas,  
quatenus est Papa, non quatenus est supremus Prin-  
ceps seu Magistratus vrbis, illi à Deo sine vllius ho-  
minis vel consensu, vel dissensu, concessa est. Nam  
hoc summo perè necessarium fuerat, vt propter con-  
cordiam & harmoniam in Ecclesia sue membris cõ-  
seruandam, eidem caput atque rectorem præponeret.  
Fatemur enim communiter in Symbolo, atque credi-  
mus vnã, sanctã, Catholicã & Apostolicã  
Ecclesiam. Quã, nisi per vnum caput regeretur, fie-  
ret, vt eius vnitas mox in varias partes dehisceret  
atq; scinderetur: Quare necessitate cogente eius gu-  
berna-

Romanũ Im-  
peratore non  
posse propria  
authoritate  
decernere pri-  
matum in or-  
dine Ecclesia-  
stico.

Ecclesiam ne-  
cessario per  
vnum caput  
regi oportere.



bernationem vni demandari oportuit: quemadmodum in imperio seculari fieri consuevit, in quo per vnum reipublica consuli necesse est, vt Pomponius rectè ait in l. necessarium. §. nouissime. ff. de orig. iur. Cum autem veterum Philosophorum, & prudentiorum quorumq; sententia nullum imperium sit firmitus Monarchia, hoc est, si vnus præsit, in cuius potestate cardo totius vel Ecclesie vel imperij versetur: neq; etiam pulchrius vel vtilius hoc regimine reperiri queat, quod nimirum ad diuinum atq; celeste regnum accedat propius. Non verò hoc impugnat, vel impedit, quod Evangelici illi, si dijs placet, vociferantur: vnicum scilicet Christum Ecclesie præesse, eamq; regere & conseruare. Tametsi enim hoc negari non possit, neque fas est, quin quòd Christus Ecclesiam perindè, vt omnia alia, gubernat, tanquam primus eius motor, atq; in suo statu conseruat: sua tamen providentia diuina constituit, vt vnaquæq; res iuxta sua naturæ ordinem disponatur. At quoniam homines iuxta rationem sensus omnia sua negocia dirigere debent, & omnis doctrina disciplinaq; ex rebus sensibilibus accipiatur: & quod amplius est, ipsa mysteria sacramentorum, quibus gratia Dei confertur, in rebus sensibilibus cõsistant, necesse fuit, vt hæc gubernatio vni cõmitteretur, id quod partim ad hominis imperfectiõnem, vt potè quem iuxta rerum sensibilitatem vitæ suæ normam dirigere oportet: partim etiã ad eiusdè perfectiõnem & excellentiã spectat: hac enim ratione, iuxta naturæ suæ pportionem, salutis suæ author & causa est, iuxta id quod dici solet, Quisq; fortune suæ faber. Natura itaq; ductu vnũ hominẽ Ecclesie præesse

D 3

præesse

Imperii vni  
imperantis  
esse firmitus.

Christum Ec-  
clesie caput  
esse non im-  
pedit quomi-  
nus & Papa  
sit.

Hominũ ne-  
gocia dirigi  
secundũ ra-  
tionẽ sensus.



Ecclesiae vnū hominē praeesse etiam natura dicitur.

Christus caput tam militantis quam triumphantis Ecclesiae.

Vicari<sup>9</sup> Christi non ortus est ab hominibus sed à Deo.

Potestas clauium à Petro ad luciflores emanauit.

praeesse necessum est: is autem officij sui potestatem à collegio, vel consensu hominum, nisi per representationem quandam, accipere neutiquam potest. Vicarium enim Domini constituere nemo alius nisi Dominus ipse potest. l. à iudice. C. de iudic. Ecclesia autem alium non habet Dominum nisi Christum, quod rerum omnium tam in militanti, quam triumphanti Ecclesia vindicationē habet, tanquā vniuersalis atq; directus Dominus, cuius est terra et plenitudo eius. c. tua. extra. de decim. tum etiam precio empti sumus, non quidem auro, vel argento, sed sanguine Christi. Propterea eius est sibi ipsi delegare vicarium, et quia Christi vicarius est, merito super omnem Ecclesiam totius orbis Christiani principatum tenet: sed hunc ei dare non ad Imperatoris, vel alijs hominis officium spectat. Quod si admittamus Ecclesiae regimen diuina prouidentia constitutum esse, quod negare nemo sanae mentis potest: quicquid enim fit, id Dei dispositione fit, sine quo factum est nihil. glo. 2. in proem. Auth. Quom. oport. episc. et c. Is cum clauium potestatem tradiderit Petro, rationaliter sequitur etiam eiusdem successoribus legitime intrantibus eandem in Ecclesia sua concessisse potestatem, etiamsi hoc neq; verbo expressum fuisset in scripturis (cū tamen huius rei clarissima testimonia extant) quo hanc traditionem probare possemus. Fidei tamen, veritati atque iuri consentaneum est, hanc potestatem Petro traditam esse à Deo: nec ideo minus valet haec traditio (ut civiliter loquamur) quod instrumenta nō interuenissent. l. 2. C. de acquir. et retin. poss. et glo. in l. quotiens. C. de rei vindic.

Nam



Nam patientia non solum inducit presumptionem consensus, sed etiam inducit presumptionem veritatis & solemnitatis. l. 1. C. de patr. potest. Ea autem potestas à sancto Petro ad hunc vsq. Gregoriũ XIII. Opt. Max. Pontificem, non solum longissima, sed multorum seculorum prescriptione, continua serie deriuata, effectum possessionis iure optimo sortita est. l. 2. C. de prescript. long. temp. dec. vel vig. ann. Eam possessionem quoq. integram cõseruabit, quam diu Spiritus sanctus Ecclesiæ à Christo promissus est, hoc est, vsque ad consummationem huius mundi, etiam inuitis portis inferorum: neque minus habebit iuris postremus Petri successor atq. primus: nam prescriptio, quæ tuetur authorem, eius quoque successorem defendit. l. 1. C. ne de stat. defunct. post quinque. quær. Quandoquidem verò ad istius negocij probationem expressa habemus testimonia ex verbo Dei, videlicet Matthæi 8. 10. & 16. Ioannis cap. 10. & 11. Marci 3. Luca 6. & 22. Tum etiam ex vetustissimis, et Apostolorum temporibus proximis Ecclesiæ sacrosanctis Doctoribus, Vt Ireneo, qui vixit anno Domini CLXXV. lib. 3. ca. 3. Tertulliano, qui vixit anno Domini CLX. in libro de prescriptione hæreticorũ. Cypriano ad Iubaian. et Antonian. Anno CCLX. Origene libro quinto in Rom. ca. 6. qui vixit anno CCXXXII. I. Basilio cõtra Eunom. lib. 2. vixit anno CCCLXXX. Hieronymo aduersus Luciferianos, anno CCCCXXII. Ambrosio in secund. Corinb. ca. 12. Anno CCCLXXX. Augustino contra Epistolam Parmeniani lib. 1. cap. 2. Eodẽ aduersus Epist. Manichæi. l. 2. epistola CLXII. & alijs pluribus

Sacra scriptura  
testimonia  
de primatu  
Petri.

Patrum testi-  
monia de pri-  
matu Petri.



Vide etiã Eu-  
seb. lib. 2. cap.  
14. Eccles. hi-  
stor.

Testimonia  
Conciliorum  
de primatu  
Petri & Ec-  
clesiæ Ro.

pluribus in locis. Anno Christi CCCCXXX. Hila-  
rio in Psalm. CLXXXI. anno CCCLXXI. Ci-  
ryllo in Euangelium Ioannis libro 2. capite 12. anno  
CCCCXXXII. Chrysostom. hom. LV. in Matth.  
anno CCCCXXX. Inter quos auctores grauissi-  
mos lubet ea quoq; verba hic in mediũ adducere, quæ  
in Concilio Nicæno, quod ante annos MCCXLVI.  
celebratum est, scripta reperiuntur, et vnum ex qua-  
tuor illis Concilijs est, quæ etiã quatuor Euangeliorũ  
auctoritatem obtinuerunt. §, Sancimus. Auth De  
eccles. tit. 12. prin. &c. Post translationem circa prin.  
extra. de renunciat. ea verba sic habent: Sciendum  
est sanè ab omnibus Catholicis, quoniam sancta Ro-  
mana Ecclesia nullis Synodicis decretis prælata est,  
sed euangelica voce Domini & Saluatoris nostri,  
primatum, ubi dixit beato Petro Apostolo: Tu es  
Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam  
meam, &c. accepit. Possent plura his adijci testimo-  
nia, quæ hæc breuitatis causa omitto, atq; citatorum  
loca tantum, omisis & scripturarum & scriptorum  
verbis huc inferre volui, ne in hac parte breuitatis  
modum excederem: cùm pius Lector isthæc omnia  
alibi copiosius & ornatius legendi facultatem ha-  
beat. Postremò quoniam tot extant præclara, vt iam  
diximus, testimonia, quæ abundè declarant Romane  
Ecclesiæ summam potestatem sancto Petro fuisse à  
Christo traditam, atq; inde ad nostra vsq; tempora per  
legittimam summorũ Pontificum Successionẽ ema-  
nasse, neminem puto mentis compotem in re tam clara  
dubitare posse, nisi manifestè calumniari velit. Ne-  
mo enim vllò veritatis adminiculo affirmare potest  
rem



rem se habere secus, quàm recensui. Hoc etiam constat sedem istam Romanam, eandemq; Apostolicam, ab omnibus pijs Christianis in summo semper honore habitam esse. Sape quidem cum ab hæreticis ac perditionibus, tum Tyrannis vehementissimos insultus perpeffa est: neq; parum molestie tulit propter Græcorum quorundam Imperatorum atq; Episcoporum importunitatem, et insolentiam: et eo quoq; tempore, quando ferocissimi illi Barbari, Gothi atq; Longobardi, Arriana hæresi infecti in Italiam irruerunt, et Romanam sedem maximis cladibus affecerunt. De quibus calamitatibus præter alios Eusebius Cesariensis, Nicephorus, Procopius et Orosius memorabiles historias post se scripto reliquerunt. Semper illa tamen, quantumuis afflicta atq; pressa, fortius et gloriøsus quàm antea respiravit atq; emerfit: neque ullis tempestatum fluctibus, vel procellis hæc Petri nauicula submergi, vel opprimi potuit. Unde non absurde olim cuidam eandem infestanti, hoc dysticho responsum est.

*Niteris in cassum Petri submergere nauem:*

*Fluctuat, ast nunquam desinet esse ratis.*

Hæc pro coronide post has imperatorum de Ecclesia Romana, præsertim Iustiniani leges, quibus eadem ceteris omnibus, vel Episcoporum, vel Patriarcharum Ecclesijs antefertur, adijcere placuit: ne quis temere sentiat eam Ecclesiam primas non Dei, sed Græcorum, vel Romanorum Principum authoritate consecutam fuisse.

Ecclesia à quibus infestata sit.

Ecclesia pressa fortius resurgit.

De hisce alijs que versib. & qua hæc fuerit infestatio aduersus sedem Apostolicam, vide Alberic. in l. sequitur, vers. pupillus, ff. de vltar.



*AB ECCLESIAE  
ROMANAE AVTORITATE  
NEMINEM SINE SCELE-  
RE DISCEDERE  
POSSE.*

† In decretis Bonifacii PP. II. hac epistola adscribitur Iustino: ego verò eam Iustiniani omninò esse censuerim, quãdoquidem huius tempore Bonifacius iste sedi Apostolicæ præfuerit. Hoc etiã huius Epistole Data liquidum facit, testatur enim Iustinianum eo tempore tertio fuisse Cos. unã cum Oreste V. C. Cos. quo tempore nec Iustin. I. in viuis, nec II. in Impio fuit, id quod ex historiis, & ex factis consularibus, & ex Datis multorum per C. passim Iustiniani II. facile deprehendi potest.

\* Matth. 16.

‡ Imperator sentit eorum memoriam in Missa fieri non debere qui ab Ecclesia Romana se metipso separant.

† IUSTINIAN. IMP. AD EVLALIVM  
Episcopum & Eccles. Carthaginensem.

**P**RIMA SALVS RECTAE FIDEI  
REGVLAM CVSTODIRE, ET A  
CONSTITVTIS PATRVM NVL-  
LATENVS DEVIARE, & quia non po-  
test Dñi nostri Iesu Christi prætermitti sen-  
tentia, dicetis: \* tu es Petrus, & super hanc  
Petram adificabo Ecclesiam meam. Et hæc  
quæ dicta sunt, rerum probantur effecti-  
bus, quia in sede Apostolica extra maculam  
semper est Catholica seruata religio. De  
qua spe et fide minimè separari cupientes,  
& Patrum sequetes constituta, anathema-  
tizamus omnes, qui contra sanctam Ro-  
manam & Apostolicam Ecclesiam super-  
biendo, suas erigunt ceruices: sequentes in  
omnibus Apostolicam sedem, & prædicantes  
eius omnia, spero, vt in vna comunio-  
ne vobiscum, quam sedes Apostolica præ-  
dicat, esse merear, in qua est integra & ve-  
ra Christiana religionis & perfecta solidi-  
tas, promittens sequestratos à communio-  
ne Ecclesie Catholice, id est, non consen-  
tientes sedi Apostolicæ, ‡ eorum nomina  
inter



inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo à professione mea deuiare tentauero, his quos damnaui, duplicem mea sententia esse profiteor. Hanc autem professionem meam manu mea subscripsi, & Bonifacio sancto & venerabili Papæ urbis Romæ direxi, DAMNANS ET ANTECESSORES ET SUCCESSORES MEOS, ET OMNES, QUI SANCTAE ROMANAE ET APOSTOLICAE ECCLESIAE PRIVILEGIA CASSARE NITUNTUR. Hinc enim supernae misericordiae documentum perdocetur, quando & mundani Principes causas fidei cum reipublicae ordinatione coniungunt, & Ecclesiarum praesules, quod ad dispensationem suam pertinet, officij memores exequuntur. Talibus enim indigebat post discordiae procellas religio Christiana rectoribus, qui compressis prouida dispensatione turbantibus diu pergrinatam pacem depulsa tempestate reducerent, ut in futura post saecula ad propositi sui exempla tendentes, sibi ascribendum indubitanter ostenderet, quicquid Domino placitum posteris pro sua imitatione fecissent. Benedicamus Dominum, fratres charissimi, nostris hoc diebus fuisse concessum, & totis orationum & curarum viribus adnitamur, ut quae Dei ope bene cepta sunt, ipso adiuuante per omnia compleantur. Sperandum enim est, ut ad compagem corporis sui reliqua, quae adhuc diuisa sunt, membra festinent, & à potioribus

Iustinianus  
damnat adim-  
mentes priui-  
legia sedi A-  
postolicae.

Religionem  
Christianam in-  
digere Papa.

Membra mi-  
nora à maio-  
ribus



ribus discre-  
pare non de-  
beat.

ribus minora non discrepent. Ad quod, cum  
me dilectio tua Christianæ studio charitatis  
horratur, debet, quod inuitat, sequi, & quod  
amandum suadet amplecti. Simile enim iam  
fidei curam gerentes, per religiosam patien-  
tiam, par etiam præmium de boni operis spe-  
ramus affectu. Neque enim difficultatibus est  
cedendum. Non enim fatigatur asperis fides,  
nec ad cælorum ardua per procliuem tenditur, nec  
remuneratorem citra laboris exercitium quis  
meretur. Unde ne facientes bona deficiamus,  
specialiter admonemur etiam testante Psal-  
mista: Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt  
iustitiam in omni tempore; quia non initium  
laboris remunerationem præmij consuevit in-  
uenire, sed terminus. Ergo studium sollicitudi-  
nis assumentes, quibus est vna in communio-  
ne societas & credulitas, quemadmodum de  
vnicitate sedis Apostolicæ & Constantinopolita-  
næ Ecclesiæ pariter exultamus in Domino,  
ita de reliquorum quoque; (sicut affectione ad-  
mones) redintegratione lætemur, & curemus  
præmium, ut fidem integritatemque nostram  
immaculatam ab omni contagione seruemus.  
Nosti enim, frater charissime ac sanctissime,  
**QVIA ECCLESIASTICA SERVANT  
VINCULA CONCORDIAM, QVÆ  
NOS AB HAERETICORVM TVEA-  
TVR INSIDIIS, PER QVAM ETIAM  
CANONVM CVSTODITVR INTE-  
GRITAS. His in robore suo omni circum-  
spectione**

Psalm. 105.



spectatione seruatis, remedia sperantibus con-  
 seruantur. Habet enim Ecclesiasticarum ordo  
 regularum, & ipsius forma iustitiæ, vt medi-  
 cina rationabilis benignè & fideliter speranti-  
 bus non negetur, nec quiquam est ita ab hu-  
 manitate discretus, quem non à rigore distri-  
 ctionis inclinet cauta simplicitas. Sed vt cautè  
 hoc cæterasque querelas, aut errores alicuius  
 cui valeas expedire, dilectissime frater, perso-  
 nam meam te in hoc oportet induere, scientè  
 in huiusmodi causis (sicut prædictum est) quid  
 cauendum sit, & ita omnia præuidendum, vt à  
 te non ambigas rationem dispensationis hu-  
 ius Deo esse reddendam, ita tamen, vt eos qui  
 fuerint communionis sociati, vel per vos se-  
 di Apostolicæ vestra nobis scripta declarent,  
 quibus etiam, & quam contententiam libello-  
 rum obtulerint, inseratur. Sic quoque humilita-  
 tem debemus tenere in mente, vt inde ordinis  
 nostri dignitatem seruemus in honore, quate-  
 nus in nobis nec humilitas timida, nec ratio  
 sit superba. Omnipotens Deus, charissime, sua  
 te protectione custodiat, atque ad cælestis re-  
 muneracionem patriæ multiplici animarum  
 fructu perducatur. Deus te incolumè custodiat,  
 reuerendissime frater. Dat. VIII. Kal. Iusti-  
 niano III. & Oreste V. clariss. Coll.

IMPP. VALENTIN. ET MARTIAN. AA.  
 Leoni reuerendissimo Archiepiscopo gloriosæ  
 ciuit. Romæ.

**A**D hoc maximum imperium venimus Dei  
 prouidentia, & electione Senatus excellen-  
 tissimi,



tissimi, cunctæque militiæ, vnde pro reuerenda & Catholica religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentia confidimus gubernari, tuam sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris literis in principio iustum credimus alloquendam, inuitantes atq; rogantes, vt pro firmitate & statu nostri imperij, æternam diuinitatem tua sanctitas deprecetur, &c.

## DE IMPERIO ROMANO EIVSQUE PRINCIPIS

*officio, religione & fidei Catholicæ professione, atq; primum de Sacerdotij & Imperij affinitate.*

Caput hoc in plura capitula subdivisum est, quibus singulis breuia argumenta titulorū loco præfixa sunt, ex quibus & quæ in marginibus annotata sunt Lector facili negotio colligere potest, quid eodem hoc toto capite comprehendatur.

IVSTINIAN. IMPERATOR IN PRAEFAT. Auth. Quom. oport. Episcop. & cat. cleric. ad ordinat. perduci.

Sacerdotium  
& imperium  
Dei dona.

Principi cura  
esse debet de  
sacerdotum  
honestate.

**M**axima quidem in omnibus sunt dona Dei à suprema collata clementia, Sacerdotium & Imperium, illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex vno eodemq; principio vtraque præcedentia humanam exornant vitam. Ideoque nihil sic erit studiosum Imperatoribus, sicut sacerdotū honestas: cum utiq;